

vertunt in mala : miracula et virtutes ejus reticent ac dissimulant : conversationem cum peccatoribus taxant ?

Fit autem detractio, primo, cum occultum alicujus peccatum revelatur. Multi hoc licere existimant, dummodo verum dicant, non attendentes, quod violent jus quod habet peccator ad famam suam conservandam apud eos quibus ejus peccatum occultum est.

Secundo, cum peccatum alterius exaggeratur, quod plerumque fit; cum alterius vitia vel peccata referuntur.

Tertio, cum falsum crimen alicui imponitur, quod præter detractionem includit etiam mendacium damnosum.

Quarto, cum alterius facta bona negantur vel imminuuntur. Qui hoc faciunt : *Sepulcrum patens est guttur eorum*, quoniam, uti sepulcrum excellentium virorum nomen obscurat et sepelit; ita faciunt illi.

Quinto, cum alterius bona opera male quis interpretatur, de intentione ejus perperam judicans.

Sexto, cum detrahentes audiuntur. De quo Prov. XXIV. dicitur : *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum et ruinam utriusque quis novit?* detrahentis videlicet et auscultantis : et S. Bernardus, in serm. *Detractor et libens auditor, uterque diabolus in lingua portat*. Præclare et verissime S. Hier. in ep. ad Celantiam scribit : *Quod si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam seipsos viles detrahendo facerent, sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur*. Sic ille nimirum uti cum canis unus ab alio laceratur et prosternitur alii etiam accurrunt, et in prostratum dentes exerunt: ita fit plerumque inter homines.

Omnia hæc mortalia peccata sunt, si ex intentione nocendi alterius famæ fiant. Secus si ex levitate animi aut inconsideratione; quo casu sunt venialia : si causa correctionis justæ, etc. nullum omnino.

V. Disce quousque et quibus conversari cum peccatoribus liceat. Nam si ii sint hæretici, non debet is qui rudis et laicus est, diutius et familiariter agere cum illis, nisi quantum postulat necessitas et decorum. Alioquin enim vitia ab illis facile in catholicos derivantur, et proclive est seduci. Doctis vero quia adversarios præcellunt, non facile id prohibitum, præsertim cum laborant ad eorum reductionem. Ita enim incantatores secure tractant serpentes; alii non item. Male igitur agunt parentes, qui ad loca hæreticorum mittunt liberos, ut ibi serviant, vel

opificia addiscant vel exercent; perinde enim agunt ac si eos projicerent in flumen, unde difficile enatare possent. Si sint peccatores alii, licitum quoque est perfectis et animarum medicis agere cum illis, exemplo Christi recipientis peccatores; cum nimirum aliqua spes utilitatis affulget, ut eorum exemplo discant mansuescere, virtutem amare, vitia sua deponere, sic enim erunt illis : *Odor vitæ in vitam, et salis instar*, quo saliantur ne putrescant; vel potius : *Petra salis*, ut vult S. Gregor. Secus si inde scandalum generaretur, vel peccator in peccato foveretur, etc. Qui vero imperfectus est, vitare consortia peccatorum debet, ne vitia eorum in ipsum transfundantur. Nam : *Qui tangit picem inquinabitur ab ea*, Eccl. XIII. In cujus rei documentum Christus cum adhuc infans esset, fugit Herodem: non item quando factus est vir. Si tamen contingat aut necessitas compellat vivere cum malis, mores eorum tolerandi, non imitandi sunt, et cum apibus legendum id quod bonum est, etiam e malis floribus.

VI. Disce non omittere bona opera propter obtrectationem malorum : quemadmodum et Christus propter Phariseorum murmur, non intermisit peccatoribus benefacere, sed defendit suam erga peccatores misericordiam tribus parabolis, ut sic etiam Phariseos liberaret ab errore. Qui Deum super omnia diligit, non desinit ei servire propter hominum ludibria vel obtrectationes. Nemo certe regem quem invitavit ad convivium, ponet ultimo loco, sed primo; ita : *Si justum est homines audire potius quam Deum, judicate*. Et si eodem tempore diverteret ad te rusticus et princeps, utique rusticum ejiceres, et principem reciperes : illum negligeres, huic inservires : *Ita perfecta charitas foras mittit timorem*, 1. Joan. IV. Nemo ergo omitat crebro confiteri et communicare, quotidie audire missam, etc. propter obtrectantes. Disce etiam obtrectatoribus placide respondere juxta exemplum Christi. Quod egregie etiam præstitit David, quia adeo nil austeri respondit obtrectatori Semei, ut videretur potius pasci et oblectari ejus calumniis (juxta id Thren. III. *Saturabitur opprobriis*, q. d. videbitur sibi laute cœnasse, cum probis impetitus fuerit) et potius increpavit servum suum qui ultionem de obtrectatore sumere volebat, quam obtrectatorem, II. Reg. XVI. Unde exclamat S. Bernard. serm. XXXIV. in Cant. *O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius quam exprobranti succensendum putavit*.

VII. Disce mirare immensam Dei benignitatem erga humanum genus ut perditum reduceret in caulam suam. Ea vero tanta est, ut vel ipsi peccatores inde scandalizati sint, et obmurmuravit Scribæ et Pharisei. Imprimis enim

dimisit angelos *in deserto cœli* et descendit in terram quæsiturus ovem, quæ culpa sua et sibi tantum perierat : secundo, accendit lucernam doctrinæ evangelicæ, qua cæcum illuminavit mundum, et hoc ipso everrit a sordibus vitiorum, quibus scatebat : tertio, quæsit nos continuo, quamdiu in mundum vixit, sequendo nostra vestigia, hoc est, incedendo per miseras nostras : quarto, allexit nos ad se vitæ suæ exemplo, quo prævit nobis in omni virtutum genere : quinto, sustulit in humeros, cum totius mundi peccata et onus satisfactionis in se transtulit : denique, ob inventam ovem festum in cœlo perpetuum agit; quasi sibi soli et non ovibus laborasset; et quasi eam *invenisset*, hoc est, nullo labore acquisivisset, quam tanto comparavit pretio sanguinis sui. Jam vero hoc quod semel toti humano generi fecit, non omisit deinceps facere quibuscumque peccatoribus. Dimittit enim justos in tribulationibus vel in solita gratia in qua vivunt, et quærit peccatorem : secundo, accendit illi lumen intelligentiæ, qua cognoscat statum suum, peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, repetitionem; per verbum prædicationis, inspirationes, etc. tertio, quærit et everrit domum, cum undique occasiones conversionis objicit peccatori, trahendo per beneficia, terrendo per supplicia, incutiendo timorem : quarto, allicit bonis exemplis : quinto, tollit in humeros, mitigando tentationes, sublevando consolationibus, etc.

VIII. Disce quantum sit vel unius animæ pretium, si quidem unam peccatricem animam, tanto studio et labore Christus requisivit et requirit in dies, et pro recuperata festum in cœlo agit. Quid hic cogitamus, auditores? Si Deus optimus rerum æstimator, tanti æstimat unam animam, quid ita sæpe nos proximum contemnimus negligimus, premimus et opprimimus, seducimus, perdimus quasi mus aut musca esset? Audent aliqui dicere : Quid tum, si unus homo pereat? Quid? Nonne Deus unicum quærit hominem? Et si pastor unam quærit ovem; mulier unam quam perdidit, drachmam; nos animam proximi negligemus, eam præsertim, quæ culpa nostra periit? Vis scire quam pretiosa res sit anima? Æstima ex pretio sanguinis Christi pro ea dato. Unde exclamat S. Bernardus, ep. LIV. *Magna res est anima, quæ Christi sanguine redempta est*.

Quid vero illud, quod animam propriam sæpe vilissimo pendimus et pro re nihili diabolo tradimus? Et si forte eam peccando perdidimus, quam negligenter quærimus? Ubi sunt, qui accendunt lucernam ad investigandam conscientiam suam, et undique everrunt scopis divinitimoris ad sinceram confessionem et peniten-

tiam? Quod si igitur hoc non fecimus hucusque incipiamus ad hoc die melius attendere animæ eamque scopis accurati scrutiniis ita undique purgare, uti Christus Dominus etiam vobis appropinquet, imo in nobis habitet.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Quænam illæ nonaginta novem oves et quæ centesima? — II. Quare gaudium est angelis super uno penitente? — III. Quomodo majus gaudium super uno penitente quam super nonaginta novem justis? — IV. Quid parabola de drachma perditâ?

THEMA.

Gaudium erit in cœlo coram angelis Dei, super uno peccatore penitentiam agente, Luc. XV.

Per Oseam, c. XI. prædixit Dominus : *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*. Hoc tentavit in hodierno evangelio Dominus. Ut enim ad se traheret Phariseos murmurantes, adhibuit vincula non severitatis (uti jure poterat) sed charitatis, et funiculos hominum, non bestiarum, eosque tres ut notat S. Ambrosius hoc loco, triplicem videlicet parabolam ad convincendos Phariseos, unam de pastore ovem perditam quærente, alteram de muliere quærente drachmam, tertiam de filio prodigo. Mirum igitur est, si Pharisei ad tam præclaram admonitionem non sunt emendati, siquidem : *Funiculus triplex difficile rumpitur*, Ecclesiast. IV. Nos jam duos priore, qui in hodierno ponuntur evangelio expendamus.

I. Quæ sunt illæ nonaginta novem oves, et quæ centesima? Resp. dupliciter exponi posse hanc parabolam. Primo, de universali generis humani redemptione : secundo, de peculiari cujusque peccatoris conversione, et hic sensus videtur principaliter a Christo intentus; quia sermonem hic facit de Publicanorum et peccatorum conversione. Juxta primum nonaginta novem oves sunt angeli, quorum novem sunt chori, et species innumeræ, cum hominum una tantum sit : sicque centesima ovis, homo seu humanum genus est. Angeli sunt oves propter innocentiam semper cum pastore suo in altis cœli recessibus commorantes. Homines vero oves sunt, quia nascuntur inermes ut illæ : quia facile aberrant nec per se redire possunt : quia lupus infernalis eis semper insidiatur, etc. Periit hæc ovis, quando peccavit in paradiso et inde emissa est. Unde Isaias, c. LIII. ait : *Omnes nos quasi oves erravimus*. Reliquit Deus nonaginta novem in deserto, quando naturam angelicam non assumpsit, sed humanam : vel quando

secundum naturam humanam vivere extra cœlum in terris voluit: vel quando facta incarnatione magis se dedit hominibus iuvandis, quam angelis, verut si mater, quæ filium suum primum tenere quidem dilexit, alterum tamen minorem nacta magis adhuc diligit: et majoribus beneficiis prosequatur.

Cœlum vocatur desertum, quia nobis abditum, et remotum, et quia pascuis uberrimis refertum, etc. Ad hanc ovem quærendam ixit Dominus, quando ad passionem et montem Calvariae, ubi Adam sepultus erat; postea eam in humeros sustulit, quando ipse: *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, ut loquitur S. Petrus, 1. Pet. II. seu quando pro nobis in cruce passus est; et quidem *gaudens* ut ait evangelium, secundum animæ portionem superiorem, videlicet secundum quam consideravit gloriosum passionis suæ effectum, Dei gloriam, salutem animarum, exaltationem sui nominis, etc. Venit domum et convocavit amicos et vicinos ad congratulandum sibi, quando ascendit in cœlum ducens secum patres e limbo liberatos, et quando communicavit gaudium de inventa ove cum angelis suis, qui amici ejus sunt, quia in ejus gratia sunt, et idem cum eo velle ac nolle habent, vicini vero quia naturæ nobilitate præ aliis creaturis maxime accedunt ad Deum.

Juxta secundum sensum nonaginta novem oves, homines justis sunt, centesima vero quilibet peccator, quia perditur quando in peccatum labitur: perditur, inquam, non ex culpa pastoris sed propria, cum a pastore se segregat, et juxta concupiscentiam suam ambulat. Ita errabat aliquando David, qui propterea ait: *Erravi sicut ovis, quæ perit, quære servum tuum*, Psal. CXVIII. Relinquit pastor nonaginta novem oves in deserto et quærit amissam: dum majorem huic impendit laborem, sollicitudinem et auxilia ad resurgendum, quam illis ad perseverandum. Sic mater sanos domui relinquit liberos et accurrit ad infirmum foris degentem, vel lapsum in puteum. Quærit autem ovem afflictionibus, beneficiis et blanditiis, prædicationibus, etc. Invenit eandem, quando ipsa ad cor redit, adeoque seipsam invenit. Imponit in humeros, cum ei laborem poenitentiae suavem reddit, cum tentationes mitigat, cum attollit eam consolationibus. Item cum peccati poenam fere totam in se suscipit; et peccatori exiguam injungit, (debet enim et ovis arquantulum pati, cum portatur a pastore). Veniens domum, convocat amicos et vicinos, etc. quando ovem reducit ad caulam Ecclesiae; et hinc gaudium creat viris perfectis et pastoribus Ecclesiae omnibusque piis, necnon angelis Dei. Quantum gaudium excitavit in Ecclesia conversio S. Pauli, S. Au-

gustini, Constantini M. Quam lætantur catholici, cum aliqua natio vel civitas, vel etiam vicus homo convertitur ab hæresi? Quam lætantur confessarii et prædicatores, cum vident aliquem redire ad cor?

II. Quare gaudium est angelis super peccatore poenitentiam agente? Respondetur primo, quia per conversionem peccatorum reparatur eorum numerus, per lapsum Luciferi imminutus. Sic gaudet exercitus, cum videt partem aciei suæ vel alam, ab hoste fugatam vel cassam, ab aliis adventantibus redintegrari: vel si alieni se illis adjungant, ad hostes eorum profligandos. Sic gavisus quadraginta martyres sub Licinio cum in locum unius deficientis, mox alius a Deo excitatus se substituit. Sic gaudemus cum vir magnæ eruditionis, ab hæresi ad nos convertitur, postquam unus talis a nobis discessit.

Secundo, quia angeli custodes vident fructum industriæ suæ. Sic gaudet prædicator, cum videt fructum se fecisse et lucratum esse auditores suos; unde apostolus tales vocat: *Gaudium et coronam suam*, Phil. V. sic lætatur ludimagister, cum videt discipulum aliquem proficere, sequi in eo excolendo fructuose laborare. Contra parens qui filium immorigerum habet, in quo operam perdit, detestatur omnem suam industriam, quam pro eo suscepit, uti Salomon ait, Eccles. II.

Tertio, quia congratulantur Christo, qui omnium maxime lætatur et gloriatur de ovis reductione; unde dixit: *Congratulamini mihi*. Hinc enim gloria et honor Christi mirifice illustratur. Miles in bello cum perit magis duci perit quam sibi: et cum acquiritur, magis duci acquiritur quam sibi. Itaque angeli custodes mittunt tales animas, veluti coronas suas, ut dixi, ante pedes Christi, ei fructum huic adscribentes, uti Apoc. IV. fecere seniores.

III. Quomodo majus gaudium est in cœlo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis? Respondetur primo, majus esse gaudium in cœlo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non revera justis sunt, sed tales sese fingunt, quales erant Pharisæi quibus hæc parabolam proposuit Dominus, qui ex sua opinione non indigebant poenitentia. De talibus enim ait Ecclesiastes: *Melior est canis vivus leone mortuo*, c. IX. Canis vivus est peccator qui dum culpam suam retractat, vivit: os frangi Deo: leo mortuus, Pharisæus, qui dum de sua justitia præsumit et superbit, velut leo mortuus est coram Deo.

Secundo, majus est gaudium super uno peccatore qui post peccatum fortior resurgit et fit

heros, quam super nonaginta novem justis, qui in sua justitia simpliciter persistunt. Non raro enim peccatores conversi ferventiores fiunt in obsequio divino, quam qui nunquam ceciderunt ut patet in Magdalena, Petro, Paulo, Maria Egyptiaca, et aliis. Tales enim peccatorum suorum semper memores, nullis poenitentiae operibus sibi satisfaciunt. «Sic et dux in prælio, ait S. Gregorius, homo prædicta, plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit et nunquam aliquid fortiter gessit: sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, et nunquam fertilem messem producit.» Sic Gregorius.

Tertio, majus est gaudium super uno peccatore converso, quam super nonaginta novem justis veris propter novam et insperatam quodammodo gaudii accessionem, qualis est imprimis cum magna mala transeunt in magna bona. Sic enim magis gaudemus, cum rem charam perditam recuperamus, quam si eam nunquam amissemus. Unde in parabola sequente de filio prodigo, ait pater filio seniori: *Mihi, tu semper mecum es et omnia mea tua sunt: epulari autem et gaudere oportebat quia frater tuus hic mortuus erat et revixit; perierat, et inventus est*. Ideo convivium præparavit propter illum, non item propter seniore. Sic etiam magis gavisus sunt discipuli de resurrectione Christi, quam prius de ejus præsentia. Plura similia adducit S. Aug. I. VIII. confess. c. III. «Triumphat victor imperator, inquit, et non visisset nisi pugnasset; et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus est gaudium in triumpho: jaetat tempestas navigantes, minatur quæ naufragium, omnes futura morte pallescut; tranquillatur cœlum et mare, et exultant nimis, quoniam timuerunt nimis: æger est curus et vena ejus malum renuntiat, omnes qui eum salvum cupiunt, ægrotant simul animo: fit si recte, et nondum ambulat pristinis viribus, et fit jam tale gaudium, quale non fuit cum amicus salvus et fortis ambularet.» Sic ille. Non dubium quin vidua illa de Naim majore gaudio perfructa sit, cum redivivum recepit filium, quam prius perfrunderetur, cum presentem secum haberet.

IV. Quid sibi vult parabola sequens de muliere quæ drachmam perdidit? Respondetur idem velle, quod prior parabola, ejusque duplicem esse sensum, sicut et prioris. Mulier enim illa (quia mulieres majus adhibent studium ad quærendam aliquam monetam quam viri) significat juxta primum sensum, æternam Dei sapientiam, drachmæ vero novem, novem angelorum choros, drachmæ perditæ humanum

genus universum ad Dei imaginem formatum, juxta id Psal. IV. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Perdidit Dei sapientia hanc drachmam, cum homo perdidit seipsum, et per peccatum lapsus est in tenebras: accendit mulier lucernam, cum Dei Filius incarnatus est; et mundo visibilis apparuit: posita est hæc lucerna super candelabrum, in cruce et quia illic invenit Adamum ibi sepultum; ideo tunc extincta est: everrit domum, partim prædicationis munere; partim conversationis exemplo, dum omne id quod mundus magni aestimabat, opes, honores, voluptates, etc. velut sordes abjecit, sicque exemplo sub mundum ab his sordibus purgavit, et ad paupertatis, humilitatis et asperæ vitæ studium vocavit: convocat amicos et vicinos, cum naturis angelicis representat animarum lucrum et communicat illis gaudium suum.

Juxta posteriorem sensum primario hic intentum, mulier hæc est Christus ob tenerum amorem, quò cum hominibus etiam peccatoribus conversatus est: ob ingentem dolorem, quem in spirituali nostro partu sustinuit. Drachmæ novem, justis sunt: decima quæ perit, quilibet peccator, qui e gremio Dei excidit in potestatem principis tenebrarum; in quo statu seipsum quoque perdidit, quia seipsum nescit: accendit lucernam Christus, cum peccatorem vel admonuit per ipsam, vel admonet per concionatores, libros pios, inspirationes internas, exempla, etc. everrit domum, cum timore servili gehennæ vel simili conscientiam peccatoris commovet; vel cum morbo vel afflictione alia eum velut scopis cœdit; hinc enim sordes colliguntur, et peccator incipit agnoscere, unde sibi hæc calamitas proveniat, ex peccato scilicet, sicuti fratres Josephi, postquam in angustias redigerentur: *Merito hæc patimur*, inquit, *quia peccavimus in fratrem nostrum*: et unus ex illis: *Nonne dixi vobis: Nolite peccare in puerum*, etc. inventa drachma convocat amicos et vicinas, id est, animas justas fidelium, qui gratulantur Christo, et sibi etiam gaudent ob fratrem recuperatum. Etenim in conversione peccatoris, angeli et beati in cœlo, et pii ac justi in terra celebrant multa festa. Primo, festum nativitatis, quia per contritionem nascitur Christus in corde peccatoris, et ipse renascitur ad vitam spiritualem, quæ est gratia: secundo, festum circumcisionis, quia resecat pristina vitia, bona aliena, odium et inimicitiam, amorem inordinatum erga creaturas; et circumcidit veterem hominem, ut deponat pristinam conversationem: festum purificationis, quia per justificationem homo purgatur a peccatis, et offertur ac presentatur Deo, veluti reconciliatus: festum